



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 69. Pontificis opera in sancienda pace Gallos inter, & Hispanos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.

A.C. 1597.

§. LXIX.

Pontificis opera in sancienda pace Gallos inter, & Hispanos.

*Spond. hoc**ann. n. 7.**Rapin.**Thoir hist.**d' Angl.*

Vix Clemens VIII. summus Pontifex Henrici IV. Regis reconciliationem ad felicem exitum perduxerat, cum illico primas eo curas intenderet, ut tanquam communis fidelium Parens, gentisque Christianæ arbiter duos Europæ potentissimos Reges Hispanum & Gallum firma pace conciliaret; cum enim hi non sine magno Catholicæ fidei dispendio, ingentique Protestantium incremento jam per plures annos inter se bella utrinque damnosa gererent, atque ipsi Turcæ, cum Cæsar exterorum Principum ope destitutus eisdem resistendo impar esset, jamjam reperta clade Christianos in Hungaria afficerent, hinc unionem inter Catholicos Principes quovis pretio revocare, summopere necessarium ducebat Pontifex; eapropter jam anno priori Alexandrum Medicæum Cardinalem, atque Archiepiscopum Florentinum, qui postea in Papam electus Leo XI. nominabatur, Legatum in Gallias decernebat, ut Henricum IV. ad pacis consilia inclinaret. Legatus igitur ad alloquium Parisiis admissus, variis, validisque argumentis Regem ad pacem incitabat, hæc

hæc exponens: „diuturnæ Gallici Re-
 „gni calamitates, ac florentissimæ quon-
 „dam Provinciæ præfenti bello desola-
 „tæ pacem, unicum tot malorum re-
 „medium, deposcunt; nunquam enim
 „Rex Regno suo pacate, tranquilleque
 „frui poterit, quamdiu ab extero hoste
 „armorum metus imminet: aliunde e-
 „nim etiam Regnum non modo a foe-
 „deratorum reliquiis turbatur, sed vel
 „maxime ab hæreticis in Regno præ-
 „valentibus, qui cum Belgii rebellibus,
 „Anglisque clandestina armorum so-
 „cietate conjuncti nonnisi ex Hispanici
 „belli successu sua consilia moderantur,
 „ac sinistra regii exercitus expeditione
 „arrogantiores facti rebellionem adver-
 „sus Regem eo tempore meditantur, quo
 „Christiana Respublica ardentè exop-
 „tat, ut arma illa, quæ hucusque Chri-
 „stianorum sanguine maduerunt, tan-
 „dem in communem hostem Turcarum
 „Imperatorem verterentur.„ His, aliis-
 „que rationum momentis Legatus Apo-
 „stolicus Regis animum ad pacis deside-
 „rium quidem inclinabat, cum tamen
 „honoris, atque existimationis stimulus,
 „propriæque utilitatis ratio in eo præ-
 „valerent, idem Rex disertis verbis Car-
 „dinali Legato respondit, quod nulli un-
 „quam conditioni assensurus sit, nisi prius
 „omnes urbes, quas Hispani occupave-
 „rant,

Sæcul. XVI.
 A. C. 1597.

Sæcul. XVI. rant, integre restituantur, damnaque
A.C. 1597. Regno illata resarciantur: hoc tamen
 responso Legatus nihil territus rem ur-
 gere pergebat, moxque annuente Papa
 Patrem Bonaventuram de Calatagrio-
 ne Ordinis sancti Francisci Ministrum
 Generalem natione Siculum in Hispa-
 niam unacum Belliverio ablegabat, ut
 ambo cum Philippo Rege, quem pacis
 studiosum noverat, de mutua hac con-
 cordia agerent.

§. LXX.

*Philippus Hispaniæ Rex ad pacem
propensus.*

Spond. n. 7. *Gallut l. 10.* *de bello Gall.* Quamvis Franciæ Rex pacis negotio
 varias difficultates objectare vide-
 retur, re tamen ipsa tam domesticis,
 quam exteris tumultibus inter arcta
 prehensus Regni sui tranquillitatem pa-
 cis securitate redimere paratus erat:
 majori tamen adhuc animi propensione
 Philippus II. Hispaniæ Rex jam victo-
 riis satur ex tuta pace belli fructus
 reportare studebat; cum enim jam
 senio gravis, morbisque lætalibus pres-
 sus esset, ac periculosum crederet,
 unico teneræ adhuc ætatis Filio Re-
 gnum immensis sumptibus exhaustum
 unacum bello tam atroci adversus ho-
 stem expertum, ac magnanimum re-
 linquere, aliunde vero speraret, quod
 vires